



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sint immunia,
& exempta ab oneribus, seu tributis etiam novis, & extraordinariis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, sint immunia, & exempta ab oneribus, seu tributis etiam novis, & extraordinariis?

Respondetur bona talia, quamvis in territorio Principis v. g. secularis existant, siue sint proprie Ecclesiastica, siue sint patrimonialia, siue mobilia sint, siue immobilia, de iure communi tam civili, quam canonico sunt immunia & exempta à novis his extraordinariis tributis, collectis &c. exactioibus, gabelis & vectigalibus, quæ Principes seculares à suis subditis exigunt, vel his imponere solent ratione honorum, quæ possident *c. non minus 4. & c. adversus 7. h. r.* Cubi sub excommunicatione hæc talia fieri prohibentur, *c. nonnulli. 1. h. r. in 6. c. quamquam 4. de censibus in 6. authent. item nulla. Codice de Epis. & cleric.* talium enim onerum exactio, & impositio, cum sint actus jurisdictionis. Principi autem seculari, nulla in Clericos, aut Ecclesias iurisdictio competat, consequenter nulla etiam operum talium exactio, aut impositio, cum ut Apostolus dicit ad Rom. 13. idem præsent illi, ad quos scripsit, tributa, quia subditi sunt: quæ omnia bullâ suâ Urbanus 8. confirmat, editâ 1641. die 23. septembris, quæ incipit, *Romanus Pontifex*: quæ autem in contrarium ex utroque iure nunquam afferuntur, vel tantum loquuntur de facto, siue de eo quod fit, non autem de iure, prout plurima hodie contra hanc immunitatem fiunt, de quibus, utrum iuste fiant, Deo red-

denda erit aliquando ratio; vel de re realibus oneribus loquuntur; vel de temporibus gentium Imperatorum ab antiquo tantum bona, sed sanguis etiam Clericorum patiebatur, vel per leges contrarias abrogata sunt &c. & quibus die etiam multa fiant, contra immunitatis privilegia, ut contra consuetudine videri possint illa privilegia abrogata, saniores tamen Theologi & Canonistæ fatentur, per nullam immemorialis temporis consuetudinem exactiones hæc coherescere posse, tantum ab Oecumenicis Conciliis, & ab ipsis etiam Imperatoribus licet tales exactiones damnentur, & reprobandæ. Ut ne tamen in publicis necessitatibus, ubi tam de Clericorum bonis, quam de Laicorum, æquale periculum est, bonum commune, ob exemptionem tantum patiatur, fiunt suæ exceptiones, & allatis iuribus, ubi ostenditur, quod etiam Clerici ex suis bonis, etiam Ecclesiasticis, ad communem necessitatem sublevandam concurrere debeant. De quibus mox

§. III.

Quenam condiciones requiruntur, ut Clerici alieve personæ Ecclesiasticæ etiam regulares teneantur, tam hæc quam sint contribuere; & quando etiam hæc & extraordinarie collectæ, seu contributiones illis imponi, vel ab ipso exigi possint?

Plura requiruntur, ut scilicet fiat contributio Clericorum, & talium personarum. Primum quidem, ut in tali communis periculi, & necessitatis, ut